Lectori benevolo s. p. d. eundemque ad dissertationem inauguralem medicam invitat ... / Christianus Godofredus Stentzel.

Contributors

Stentzel, Christian Gottfried, 1698-1748.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

[Vitembergae] : [Eichsfeld], [1735]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/baarx9va

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Q. D. B. V.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

EVNDEMQVE

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM MEDICAM

INVITAT

ORDINIS MEDICORVM

H.T. PRO-DECANVS

CHRISTIANVS GODOFREDVS

STENTZEL

ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR,
CHIRVRGIAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS,
PATHOLOGIAE PROFESSOR SVBSTITVTVS.

Rubeſcant demum, iuſto perfuſi pudore, iniqui inuidique ſalutaris obtrectatores artis; deſinant tandem naſutuli, nobiliſſimum Summi Numinis donum, in humanae hominibus ſolatium ac conſeruationem uitae elargitum calumniari ac ſcabioſe traducere; ſeparent ac ſeparare prudenter diſcant peſſima imperitorum uitia artificum, a praeſtantiſſimis, quae mortalibus immortalis praeſtat medicina, commodis atque emolumentis. Omnes uno ore Sapientes, inter terrena nobis conceſſa bona, optimum ac maximum, ſanitatem pronunciant; omnes ſatis norunt ac ſciunt, quod proſperae firmaeque defenſio, perditae econtra ac labefactatae reſtauratio ualetudinis, medicinae in acceptum ſit referenda. His licet certis atque in aprico poſitis, quouis nihiloſecius fuerunt tempore, praeſentique plures adhuc reperiuntur ſeculo, qui Siracidis conſilium reſpuentes, loco honoris, quem medicinae medicoque debent, omnis conuitia ac calumnias generis in medium afferunt. Medicinam, nihil aliud, quam quandam homicidiorum artem eſſe, multi Cornelium Agrippam, omnis nequitiae ac flagitiorum diuerſorium, ſequentes, eructant. A multis, quibus perſuaſum, quosuis, ſola temporis mora atque expectatione, morbos, ſine ullis adhibitis medicamentis, curari, ars ſalutaris, tanquam inutilis, ſuperflua, imo noxia, plane repudiatur, damnatur. Tempus uitae noſtrae, his ſuccurrentes alii, clamant, cuius ſumma breuis, ſpem nos uetat inchoare longam, certis cancellis ac limitibus a Deo circumſcriptum ac definitum eſt, quos nec ſuperare, nec anticipare, humanae permittunt uires. Hinc perinde eſſe, iidem urgent, ſiue medicus medicamentaque adhibeantur, ſiue non; ſi enim terminus mortis a Deo deſtinatus adeſt, tum & accommodatiſſima praeſentiſſimaeque remedia uirtutis eundem haud procraſtinabunt, ſed ex hoc mundo ad ſuperos abibis; ſi uero uitae tuae dies nondum omnes abſoluti, nullus morbus, licet truculentiſſimus, te perimet, ac ſine medicamentorum uſu,

ſine ullo, quod aegrotis affertur, ſubſidio, priſtinam recuperabis ualetudinem.

Verum, rem recte tecum adhibito expende atque aeſtima iudicio; ſacrum euolue codicem; plures aegrotorum medicinae miniſterio ſeruatorum hiſtorias, quibus omnes referti ſunt libri, attenta reſpice atque examina mente; debita circumſtantias ſedulitate, quae tam in ſanis, quam aegrotis, quotidie occurrunt, obſerua atque attende, certe; ſi tantillum adhuc ſanae tibi reſtat rationis, ſi non omnem eius uſum tibi malitiae ademit ſtudium, ſi non inſaniae teneris uoluptate, ad noſtra tranſiens caſtra, grato, magna, quae ars ſalutaris hominibus ſuggerit, beneficia, animo nobiſcum agnoſces. His quidem te aliquantulum commoueri, minime uero ab omni, qui menti pertinaciter haereat infixus, ſcrupulo liberari, regeris, certa enim medicinae fundamenta adhuc deſiderari, primo mones loco, & dehinc multorum morborum cognitionem, atque ab eadem dependentem medelam, non difficilem, ſed impoſſibilem plane eſſe, commemoras; a medicis, addis, uno eodemque remedio, diuerſae morbos indolis curari; imperitos peraeque ac peritos in medicae exercitio pathologiae felices eſſe, & feliciores ſaepe imperitos peritis, indicas; multos ſola medicorum imprudentia, mortis fuiſſe commiſſos faucibus, qui ſibi relicti adhuc uiuerent, propoſitis demonſtras obſeruationibus. Quo autem ueritatis ſuffragio, quo iure, certa arti ſalutari fundamenta denegare potes, quae mathematicis, anatomicis, chymicis, phyſicis ac pathologicis ſuffulta demonſtrationibus atque experimentis, ſana, in ſuis actionibus, ratione, atque experientia, ducibus utitur? Qua rei conuenientia, ſtupidorum uitia medicaſtrorum, ipſi medicinae medicisque genuinis & uere doctis imputare potes? non enim omnes, qui medici ſuperbiunt charactere, ea peritia ac prudentia, quae ab illis exigitur, ſunt inſtructi, plures potius reperiuntur, qui, praeter unam alteramue remediorum formulam, nihil amplius norunt, ac nihilo ſecius, quia hunc uel illum a gonorrhoea, uel febre intermittente liberarunt, pro magnis habentur medicis. Reperiuntur & alii, quibus in deliciis eſt impudentia, ac qui omnium ſtudiorum expertes, egregia proceraque corporis mole confiſi,

confisi, per uniuersam discurrentes ciuitatem, quibusuis, iisque ab honesto grauique uiro alienis blandimentis anicularum gratiam ac beneuolentiam aucupantur, quae deinceps, more illis apud nos familiari, talem medicastrum, tanquam alterum Apollinem, laudibus ad coelum usque extollunt, sancte iuratoque affirmantes, in tota urbe non reperiri medicum, illi eruditione, peritia, rerumque perficiendarum dexteritate parem. Si tali te, tuique corporis incolumitatem, medico credis ac committis, non mirandum, si maius hinc a medico, quam a morbo, periculum tibi imminet, culpa uero non medicinae, sed uel tuae negligentiae, uel sordidae, cui totus es deditus, auaritiae, tribuenda. Nonne tuarum esset partium, ut in mores ac studia medici inquireres prius, quam illi corporis tui tuorumque curam commendas ac concredis? Enim uero, cum tibi nummi ac reliquae res domesticae magis, quam sanitas, curae cordique sint, & hinc infamis uoluptate lucelli ductus, Deum minorum gentium, uili, quo nec triobolare prostat scortum, pretio accersendum cures, non aliunde, quam a tua negligentia, stupiditate, atque auaritia, originem malorum, quibus affligeris, deducere potes. Raro certe, cum SCRIBONIO LARGO (a) conqueror, aliquis, priusquam se suosque tradat medico, diligenter de eo iudicat, quum interim nemo ne imaginem quidem suam committat pingendam, nisi probato prius artifice per quaedam experimenta, atque ita electo. Habent itaque omnes pondera ac mensuras exactas, ne quid erroris in rebus non necessariis incidat, uidelicet, quia sunt quidam, qui pluris omnia, quam se ipsos, aestimant. Eadem & Diogeni Cynico fuit mens, qui, aduertens, quosdam agyrtas ab aniculis plerumque commendatos, sine discrimine medicinam facere, se mirari dicebat, quod in solo homine emendo, aspectu atque aliorum consilio acquiescamus, cum ne ollam quidem aut poculum, absque tactu & tinnitu emamus. Proh DEum immortalem! quid idem diceret, corruptum rei medicae statum, peruersumque, qui apud nos uiget, ordinem aspiciens? nam, non ab aniculis saltem agyrtae commendan-

(a) Epist. C. ad Iulium Calistum.

mendantur, ſed ipſae aniculae medicinam exercent, ac cuiuis ſordidiſſimo, ex infima infamique plebe homini pathologiae exercitium, impuneque occidendi priuilegium, conceſſum eſt.

Hic, nec alius eſt fons, ex quo tot calamitates, tot dimanarunt mala, non alia, quam obthurata ſcaturigine, methodo, auertenda atque aufferenda. Dolendum uero, quod illi, qui ad proram puppimque ſedent, nullam penitus medicinae habeant rationem. Nullus ſane ad diuini miniſterium uerbi admittitur, niſi uocatus, confirmatus, atque ordinatus; certus ubique miniſtrorum Dei eſt numerus. Nulli pariter in foro cauſam dicere permittitur, niſi examinato, atque editis in iurisprudentia ſpeciminibus ab Ordine Iureconſultorum approbato. Omnes artifices, omnes opifices, certis ad ſua munia legibus adſtricti tenentur, ac nullus ab iisdem recipitur, niſi ab artis ſuae peritis pro idoneo declaratus; nec ſartor fabrilia tractandi, nec ſutor mercaturam exercendi habet poteſtatem, medicinam uero facere, omnibus eſt licitum. Haud raro balneator, ludimagiſter, opilio, carnifex, uenator, aliique huiusmodi ſortis homines, a longe diſſitis, ad medelam morborum ſuſcipiendam ac perficiendam, locis, magnis accerſuntur ſumtibus, qui, accepta corraſaque magna auri argentique copia, rebus omnino corruptis ac deploratis, clam diſcedentes, aegrum in miſerrimo relinquunt ſtatu. Optandum ſane eſſet, meum eſt cum ingenioſiſſimo AMMANNO (b) uotum, ut lex illa Cypria, qua permittebatur, ut porco alienas ſegetes depaſcenti & uaſtanti, dentes truncaret fundi poſſeſſor, in noſtris oris quoque ſanciretur, ſic namque & linguae mendaci tam frequenter in alienos excurrenti agros, & obuia quaeuis dentibus uaſtanti modus poneretur, & agyrtarum, nobiliſſimae arti noſtrae ſeſe immiſcentium, uimque eidem inferentium, numerus, magno humani generis commodo, non parum imminueretur. Verum enim uero, res eo rediit iam, ut circumforaneorum cumulus in dies augeatur, conniuente uidelicet magiſtratu, non ſine inſigni ſubditorum diſpendio, artisue noſtrae haud leui ignominia, quam tales ruditate ſua eidem

(b) Medicina Critica p. 339.

dem inurunt. Quid enim artis regulis congruum ab iis expectari poterit, qui artis eiusdem praeceptorum sunt ignari.

Nec est iniquum, huius rei iniuriam culpamque Superioribus imputare, illi enim, de legum, quas tulerunt, executione minus solliciti, harum transgressores absque omni poena non dimittunt saltem, sed quauis etiam ratione defendunt. Plures ita leges de medicastris in republica bene constituta non tolerandis prostant, quis uero unquam de harum executione cogitauit? publicis potius huiusmodi homines sumtibus, in salutaris opprobrium artis, & humani perniciem generis, aluntur, ac nullus genuinorum querelis ac precibus medicorum locus conceditur. Haec uero uitia, horumque origo, non aliunde, quam a neglecta sui ipsius cognitione, arcessenda, atque ab eadem pariter medicinae ac uerorum contemtus medicorum dependet; nam τὸ γνῶθι σεαυτὸν, inter septem Graeciae Sapientum apophthegmata, notatu dignissimum, tum ethicam, tum physicam, sui ipsius cognitionem inculcans, a plurimis, Phrygum instar, sero sapientibus, non attenditur, iique nonnisi in fine, quam iniusti in se, aliosque fuerint, cum summo experiuntur damno, ac dum contemnunt medicinam, medicosque irrident, omnium risui sese demum exponunt. Quis, qualis, quantusque uir fuerit Lipsius, omnibus literatis notissimum est, eundem suspiciebant magnates, illi summos honores, maximaque officia & munera ultro offerebant Principes, idem regii dignitate consiliarii ac historiographi ab Hispaniarum Rege ornabatur, sed idem Lipsius, oraculi instar, ab omnibus fere adoratus, quamprimum febriles experiretur insultus, cum uentriculi imbecillitate, corporis tabe atque alui constipatione coniunctos, adeo commouebatur, ut reiectis, post purgantis usum medicamenti, copiosis, continua cohaerentibus serie, fecibus, totum intestinorum tubum secessisse existimaret, ac de uita omnino desperans, accedente Heurnio, alta exclamaret uoce, de uita mea, mi Heurni, iam actum est, omnia mea effudi intestina; en Lipsii constantiam! en praesentem, magnum ac fortem tanti Polyhistoris animum! en egregium cognitionis sui ipsi us specimen! Similem historiam FERNELIVS affert, referens, quod legatus quidam Imperatoris Caroli Quinti, sexen-

nio integro, hypochondriorum tumore doloreque affectus, iniecto acriore clysmate, durum quippiam, pede longum, excreuerit, quod, licet postea dolorum remissionem senserit, pro praecisa intestini parte habuit.

Merito autem hic obiicitur, cur in commemorati medela mali, quo Imperatoris laborauit legatus, non in tempore, non in principio, tale clysma fuerit adhibitum, ac per totum sexennium, huius morbi extirpatio, sola emollientium applicatione, fuerit dilata ac procrastinata? Enim uero, his, quae hic urgentur, urgendaque sunt, antecedentibus iam responsum, atque, uti arbitror, satisfactum, uitia enim artificum arti non sunt imputanda, cum φήμη μὲν πολλοὶ, ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοὶ, hoc est, nomine multi, ex HIPPOCRATIS sententia, medici, re uero perpauci reperiantur. Similia plane in his fata microcosmus cum macrocosmo experitur, nam saepissime reipublicae salus hominibus uel perfidis, uel rerum, quas dirigere ac perficere debent, imperitis committitur. Quot, malorum uitiis directorum, ciuitates, regnaque, deuastata atque euersa? Quot homines, quot milites, ducum ac superiorum negligentia, perfidia, temeritate, atque imperitia, misere trucidati atque in captiuitatem redacti fuerunt? Lubens a recentiorum recensione exemplorum abstineo, sufficiat dura commemorasse fata, quae Lutetia, tempore perfidae confoederationis Pontificiae, graui ab Henrico Borbonio obsidione cincta pressaque, sustinuit; nam misera misere dissidiis ac necessariarum inopia rerum afflicta ciuitas, omnem recuperandae salutis spem, in Philippo, Rege Hispaniarum, & duce Cenomaniae, DV MAINE dicto, collocatam habebat, illisque duobus, tanquam medicis ac liberatoribus suis, toto fidebat corde; uerum enim uero, illi ipsi, quos male sana ciuitas morbi sui elegerat medicos, non de malis minuendis, mitigandis ac remouendis, sed cumulandis atque exasperandis solliciti, eandem ad incitas redigebant. Haec omnia eruditus Gallus, rara nostris temporibus auis, sequenti tetrasticho graeco descripsit:

Ἀφρὼν εἰς λίμου νόσον ἡ πόλις ἔμπεσε λευκὴ
Ὀλβου καὶ σοφίης κόμπον ἀειραμένη.
Ου λήγει τὸ κακὸν Θεοῦ ἐννοίησι δυσαλθὲς,
Ἰητροὺς γὰρ ἔχει ἡ Σπάνιν, ἡ Μανίην.

Alludit

Alludit hic Poeta uocabulo Σπάνις, quod idem, ac penuria Latinis notat, & quo, uerbi Σπανία loco, utitur, ad Regem Hiſpaniae, &, quod idem, proprium quaerens commodum, inopiae, qua ciuitas affligebatur, ſit cauſa, indigitat. Per Μανίην uero, quod idem, ac delirium ſignificat, Dux Cenomaniae, DV MAINE uocatus, pertinacioris diſſidii ac dementiae in eadem graſſantis ciuitate auctor, eiusque character & uirtutes delineantur.

Scias ergo, quod, uti Praeſidem Reipublicae, aut Gubernatorem nauis, nihil temere ac fortuito, nihil inconſiderate negligenterque agere decet, ita omnis quoque periti ac prudentis medici actio temeritate ac negligentia uacare debet; agentem te, moneo cum LIVIO, (c) ratio ducat, non fortuna, non caſus. Longe ſecus autem idem fieri, quotidianis docemur exemplis, ubi plures ſumma rerum medico ſcitu neceſſariarum ignorantia laborantes, omni carent conſilio, ac, brutorum more, ſeſe peccare neſciunt; alii uero imprudentes partim, partim negligentes, omnem commiſſorum uitiorum culpam in fortunam coniiciunt, ſed coecam, cum SENECA, (d) temeritatem pronuncio, quae petit caſum ducem. Quemadmodum uero huiusmodi medicis, nomen ſaltem, minime omen medici obtinentibus, exaſperatorum atque in deterius mutatorum culpa morborum, & his ſuccedentis praematurae cauſa mortis, non iniuſte imputatur, ita perſaepe inſontes omnisque criminis expertes accuſari, ac conuitiis, quando aegroti ex legibus naturae, uel proprio, quod commiſerunt, uitio, obeunt, laceſſiri, obſeruamus; nam non eſt in medico, ſemper releuetur ut aeger, interdum docta plus ualet arte malum. Iniquum eſt, a medicina immortalitatem deſiderare, atque artem, uti FABIVS loquitur, ad exitum alligare, eique mortalitatis euentum imputare. Saepenumero enim acuti ingruunt morbi, qui, antequam accerſatur medicus, ſumma illata uiſceribus iniuria, nullam amplius admittunt medelam. Frequenter contagioſi graſſantur morbi, ubi, uti Catullus cecinit:

Nulla fugae ratio eſt, nulla eſt ſpes, omnia muta,
Omnia ſunt deſerta, oſtentant omnia lethum.

(c) Hiſtor. Roman. lib. 22. cap. 39. (d) Agamemn. Act. 2. uerſ. 145.

Quid tum ſolus medicus, neceſſariis, quae a magiſtratu populoque ſuppeditanda ſunt, ſubſidiis deſtitutus perficere poteſt? Perinde autem hic res cum medico, ac cum gubernatore nauis comparata, hic enim, ſi in alto graui preſſus tempeſtate, iamiam naufragium facturus eſt, & hinc Notus, hinc Boreas, hinc fuſcis Africus alis bella mouent, nihil periculum, in quo uerſatur, ueritus, omnem, quo nauis ſeruetur, operam adhibens, omnemque, quo ſaluus in portum appellat, rudentem mouens, ſuo ſatisfecit officio; eadem penitus ratione medicus, qui ex artis regulis, omnia, debita circumſpectione ac ſedulitate, peregit, licet euentus non ſemper expectationi uotoque reſpondeat, ſuo functus munere ab omni culpa ac crimine uindicandus eſt; tunc denique, cum GALENO (e) pronuncio, officii noſtri partes expleuimus, cum omnia, quae ſana nobis ſuppeditat ratio, & longus uſus peritiaque commonſtrat, praeſtitimus. Reprehendendi hinc maxime, nec uideo, qua ratione, inconſultae notam temeritatis a ſe ſubmouere queant, qui omnibus aegrotis certam & mox recuperandam promittunt ſanitatem, quod tamen non ſemper in medicinae medicique uiribus eſt poſitum, οὐδὲ γὰρ ἰατρικῆς, inquit ARISTOTELES, (f) τὸ ὑγιᾶ ποιῆσαι, ἀλλὰ μέχρις οὗ ἐνδέχεται, μέχρι τούτου προαγαγεῖν· ἔστι γὰρ καὶ τοὺς ἀδυνάτους μεταλαβεῖν ὑγιείας, ὅμως θεραπεῦσαι καλῶς. Legant & perpendant haec illi, qui certam ſemper promtamque morborum medelam a medicina medicisque exigunt, quos, ſi allegatis haud acquieſcendum rationibus putant, ad Diuum remitto HIPPOCRATEM, (g) qui huiusmodi hominum, plus, quam decet, ab arte ſalutari deſiderantium, ueſaniam, ignorantiam atque imperitiam ſequentibus increpat: εἴ τις τέχνην, ἐς ἃ μὴ τέχνη, ἢ φύσιν, ἐς ἃ μὴ πέφυκεν, ἀξιώσειε δύναθαι, ἀγνοεῖ μανίην ἁρμόζουσαν ἀγνοίῃ μᾶλλον, ἢ ἀμαθίῃ· ὧν γὰρ ἔστιν ἡμῖν, τοῖσί τε τῶν φύσεων, τοῖσί τε τῶν τεχνέων ὀργάνοις ἐπικρατέειν, τούτων ἔστιν ἡμῖν δημιουργοῖς εἶναι· ἄλλων τε οὐκ ἔστιν. Οταν οὖν τι πάθοι ἄνθρωπος κακὸν, ὃ κρέσσόν ἐστι τῶν ἐν ἰητρικῇ ὀργάνων, οὐ δὲ προσδοκᾶσθαι δεῖ ὑπὸ ἰητρικῆς κρατηθῆναι ἄν.

Plura

(e) Lib. 2. in 6. Epidem. §. 42. (f) Lib. I. Rhetor. cap. 1. (g) Oper. edit. cit. Tom. I. Sect. 1. lib. de arte, p. 5.

Plura in his habes momenta, pluraque argumenta, quibus doceris, cur medici opus non ſemper ex uoto animique ſuccedat ſententia.

Praecipua tamen infelicis, qui medicis medicorumque actionibus euenit, ſucceſſus cauſa, nempe peruerſa uictus uitaeque ratio, cui nimium indulgent aegroti, adhuc reſtat. Saepe enim medicus in medendi negotio occupatus, omnem mouet lapidem, & non toto tantum pectore, omnique adhibita meditatione ac ſollicitudine, ſed manibus pedibusque, ut ita loquar, laborat, ut integra quam citiſſime reſtituatur ualetudo; iam morbi ſentinam, congruorum uſu euacuantium, exhaurit; iam imminentibus debita prudentia tempeſtiue ſuccurrit ſymptomatibus, eaque auertendo euertendoque, miſerum aegroti ſtatum ſolatur; iam ſaeuientem in uiſceribus dolorem, praeſcriptis accommodatis anodynis, leniendo mulcendoque, quietem & tranquillum procurat ſomnum, uiresque defendit languentes; iam aeris incommoda, aliasque iniurias externas abarcendo, iam neceſſaria diaetae praecepta inculcando, aegroto aegrotique rebus conſulit ac proſpicit. At enim uero, quale hinc expectandum emolumentum, ſi palato gulaeque nimium ſeruit aegrotus, ſi medicum optima monentem non audit, ſed ſalutaria eiusdem conſilia, uel omnino negligit, uel iisdem non in omnibus decenti ratione morem gerit. Iam ſuo tempore de his, iisque peſſimis aegrotorum moribus, ſalutaris honori artis officientibus, conqueſtus fuit HIPPOCRATES, (h) ſcitiſſime de iisdem ſequentem in modum diſſerens: *τοὺς δὲ ἐν τῇσι τῶν ἀποθνησκόντων συμφορῇσι, τὴν τέχνην ἀφανίζοντας θαυμάζω, ὅτῳ ἐπαιρεόμενοι ἀξιοχρέῳ λόγῳ τὴν μὲν τῶν ἀποθνησκόντων ἀκρησίην οὐκ αἰτίην καθιστᾶσι, τὴν δὲ τῶν ἰητρικὴν μελετησάντων σύνεσιν, αἰτίην· ὡς τοῖσι μὲν ἰητροῖσιν ἔνεστι, τὰ μὴ δέοντα ἐπιτάξαι, τοῖσι δὲ νοσέουσιν οὐκ ἔστι τὰ προσταχθέντα παραβῆναι.* Plures ita Phryx, potor nobilis, cuius meminit MARTIALIS, (i) fratres ſororesque, ſi peruerſum uitae genus, atque in uictu intemperantiam reſpicias, reliquit; quid igitur mirandum, ſi in eiusmodi hominibus curandis medicus oleum atque operam perdat; ſed,

 uti

(h) Oper. edit. cit. Tom. Sect. & lib. cit. p. 4. (i) ad Aulum de luſco lib. 6. epigram. 78.

uti medicus insons, ita miser sane huiusmodi aegrotus existit, ὁ μὴ πυθομένος κορυφαίῳ, ait ISIDORVS,(k) χορὸς ἄμουσος, ὁ μὴ πειθόμενος ἰατρῷ, ἄθλιος· ὁ δὲ κορυφαῖος καὶ ἰατρὸς, ἔξω αἰτίας ἐσκήνωνται, hoc est, chorus, qui praesidi non auscultat, inconcinnus est; aeger, qui medico non obtemperat, miser est; ast praeses chori ac medicus omni tum crimine tum culpa uacant.

Quis uero mihi, his euictis, negabit, quod sincerus ac fidelis amicus, & genuinus medicus, pro optimis in hoc mundo bonis habenda sint; τὴν φιλίαν, μέγιστον, τῶν ἐν ἀνθρώποις ἀγαθῶν, amicitiam, rem omnium maximam, atque in humanis praestantissimam rebus, LVCIANVS (l) appellat. Amico fideli nullum in hoc mundo par pretium inueniri, nec bonitatem illius ullo pondere aestimari posse, GREGORIVS NAZIANZENVS (m) perhibet, φίλῳ πιστῷ, sunt eius uerba, οὐκ ἔστιν ἀνταλλαγμα τῶν ὄντων οὐδὲν, οὐδέ τις σταθμὸς τῆς καλλονῆς αὐτοῦ· φίλος πιστὸς, σκέπη κραταιὰ, καὶ ὠρυχωμένον βασίλειον· φίλος πιστὸς, θυσαυρὸς ἄμψυχος· φίλος πιστὸς, ὑπὲρ χρυσίον καὶ λίθον τίμιον πυλὼν· φίλος πιστὸς, κῆπος κεκλεισμένος, πηγὴ ἐσφραγισμένη, κατὰ καιρὸν ἀνοιγόμενά τε καὶ μεταλαμβανόμενα· φίλος πιστὸς, λιμὴν ἀναψύξεως· ἂν δὲ τῇ ξυνέσει διαφέρῃ, πηλίκον; Quas hic Diuus Pater uirtutes, quae elogia sincerae amicitiae, ac fidelibus tribuit amicis, eadem iure meritoque arti salutari, ac genuinis illius cultoribus adscribuntur, cum, quod sincerus amicus, animi curando morbos, idem genuinus medicus, corporis succurrendo infirmitatibus, praestet. Eandem de amico medicoque sententiam MENANDER, idemque, quod sequaris, tibi dedit consilium: τῷ μὲν τὸ σῶμα διατεθειμένῳ κακῶς, χρεῖ' ἐστιν ἰατροῦ, τῷ δὲ τὴν ψυχὴν, φίλου. Sed quonam, quaeris, terrarum angulo, qua plagarum parte, sincerum amicum, & genuinum medicum, licet inuenire? Ionathan & Dauid mortui sunt; Damon & Pythias obierunt; HIPPOCRATES nullibi reperitur; rara quidem, sincerus amicus, auis; rara pariter, genuinus medicus, auis; ast iisdem non omnino destitui-

(k) Lib. 4. Epistol. 205. (l) Dimanacte. (m) Oratione ad Gregorium Nyssenum.

ſtituimur. Plura adhuc in hanc rem dicenda eſſent, ſed manum de tabula. Ad ipſam rem me iam confero, tibique B. L. Candidati, qui ſe omnibus, morum elegantia, atque indefeſſa artis ſalutaris cultura, honeſtis doctisque uiris de meliori commendauit, curriculum uitae ab ipſo ſuppeditatum ac conſcriptum ſiſto:

Ego GOTTLIEB AVGVSTVS MICHAELIS *natus ſum Tauchrizii anno 1712. die 9. Ianuarii, Parente* ANDREA MICHAELI, *Paſtore tunc temporis Tauchritzenſium, poſtea Holtzkirchenſium, iam autem Marglißenſium Primario, Matre autem* ANNA ELEONORA POSSELIA, *iam beate defuncta. Hi nonſolum de eo, quod pietatem ſpectat, ſed etiam, quod ad bene, ornateque uiuendum requiritur, de me inſtituendo, omni tempore ſolliciti fuerunt; quare factum, ut partim fideliſſima optimi Parentis manuductione, ad pietatem, partim priuatis informatoribus, Dominis* SITTIO & QVEISSERO, *ad prima artium liberalium elementa addiſcenda ductus fuerim. Anno autem aetatis meae XVI. ſuaſu Parentis chariſſimi Gymnaſium, quod Zittauiae floret, adii, ibique per quatuor annos, ſub ſedula inſtitutione Directoris, arte ſua clari, Domini* MVLLERI, *& Conrectoris* BVCHERI, *quid ad humaniora, potiſſimumque Philoſophiae fundamenta ſpectat, hauſi. Ex horum Scholis, eorumque perſuaſione ductus, hanc Muſarum ſedem, anno 1731. cum alma Leucorea commutaui, & Philoſophiae ſtudio me conſecraui, in quo pariter atque uniuerſa Medicina, tam theoretica, quam Practica, fidum habui aeternumque ueneror ducem, Magnificum Dn.* LOESCHERVM, *Medicinae atque Phyſicae Profeſſorem. Cuius, ut & ceterorum huius almae Medicorum,* BERGERORVM, VATERORVM *atque* STENTZELIORVM *erga me beneuolentiam, ſtudiorumque meorum promotionem,*

atque

atque instructionem, nullo non tempore, summa uenera-tione culturus sum. Animus autem, alias etiam Scholas frequentandi, causa fuit, ut anno 1734. Halam migrauerim, ibique Celeberrimos Viros, SCHVLTZIVM, CASSEBOMVM, BASSIVM, WEBELIVMQVE, *Doctores audiuerim: Mense uero Aprilis praesentis anni denuo Academiae Halensi ualedicens, Ordinem Medicorum Vitembergensium adii, atque ab iis, ut ad examen pro Candidati dignitate reliquisque in arte salutari honoribus obtinendis admitterer, petii.*

Satisfactum ita Nostri Candidati desiderio, isque die decimo tertio Aprilis praesentis anni ad examen admissus, talem se praestitit, qualem expectauimus, qualem desiderauimus. Ac cum idem iam in eo sit occupatus, ut futuro die Septembris uigesimo sexto, pro Gradu Doctoris, me Praeside, disputet, Magnificum Academiae Pro-Rectorem, Illustrissimos Comites, Perillustres Liberos Barones, Patres Academiae Conscriptos, Omnium Facultatum Doctores ac Licentiatos, Sacrorum Antistites, & quosuis Liberalium artium ac scientiarum Cultores & Fautores, ad hunc Actum Inauguralem, omni, qua decet, obseruantia, inuitamus, illisque nos nostraque studia submisse commendamus.

Dabam Vitembergae e Museo die xx. Semptembr.

CIↃ IↃ CC XXXV.